IOANNIS LAMI

PVBLICI IN ACADEMIA FLORENTINA

HISTORIAE SACRAE ET ECCLES. PROFESSORIS

ET BIBLIOTHECAE RICCARDIANAE PRAEFECTI

IN ANTIQVAM TABVLAM AHENEAM

DECVRIONVM NOMINA ET DESCRIPTIONEM CONTINENTEM

ET IN PRIVATO AMPLISS. DYNASTAE SENAT. EQVITIS

VINCENT. MAR. RICCARDI

PATRICI FLORENTINI

MVSEO ADSERVATAM

OBSERVATIONES.





FLORENTIAE. ANNO MDCCXLV.

TYPIS REGIAE CELSITVDINIS

CENSORIBVS ADPROBANTIBVS.

IN ANTIQVAM TABVLAM AHENEAM
OBSERVATIONES.



N dominium, ac proprietatem, Viri Amplissimi, & undecumque Conspicui, *Vinc. Mar. Riccardii*, Dynastae, & Senatoris, & Equitis, Florentini nobilissimi, munifici doctorum hominum patroni, & eruditae antiquitatis amatoris & investigatoris sollertissimi, post varios casus, rerumque discrimina, transivit ahenea Tabula, quae Decurionum, fortasse Canusinorum, nomina descripta continet, [Canusinorum, dico, quod *Henr. Norisius* Cardinalis eruditissimus, in sua *Epistola Consulari*, in agro Canusino eam Tabulam repertam fuisse testetur] & quae insigne, & longe pretiosissimum, & plane singulare, antiquitatis monumentum habenda est. Quamobrem a Viris Principibus non sine prodiga immanis pretii oblatione expetita illa fuit, sed frustra semper; donec ab magnanimo *Riccardio* prudenter fortunateque comparata est. Itaque operae pretium me facturum arbitratus sum, si, quando eam apud me habere, & considerare, & admirari, ex singulari tanti Viri, & Domini mei, indulgentia licet, meis observationibus quibusdam, prope extemporalibus, iterum in lucem ederem, & Eruditorum oculis gratissimum spectaculum exhiberem. Iterum quidem dixi, nam, laudato *Norisio* auctore, anno a Christi ortu MDCLXXXI. eius imagine aeri incisa publici iuris facta iam fuerat; quod quidem & eo confirmatur, quod, quum aereum ipsum ἀπόγραφον in eiusdem Clarissimi Senatoris *Riccardii* manus pervenerit, ab eo usque tempore scalpello aes incidente descriptum fuisse, ut *Norisius* adfirmat, ex ipsa αὐτοψίᾳ evidentissime constat. Quid quod celeber *Iacobus Sponius* in Miscellaneis, & pereruditus *Raphael Fabrettus* in sua veterum Inscriptionum Sylloge, hanc eamdem integram Tabulam deinde in vulgus prodiderunt? Verum quidem est, Marchionum *Riccardiorum* aedes peramplas, atque magnificas, innumeris cultae antiquitatis reliquiis, & monumentis, iam a seculo XVI *Riccardo Riccardio*, Viro eruditissimo, curante, ditatas, exornatasque fuisse; atque exinde ab aliis, & in praesens praecipue, ab hoc praestantissimo Μουσηγέτῃ *Vincentio Maria*, huiusmodi omnigenis aeternitatis donariis & anathematis locupletatas esse, & in dies locupletari; at nullum forte aliud vetustum monumentum ab *Riccardiis* adquisitum cum hac Tabula conferri queat, seu conservationem, & integritatem; seu materiam non ita obviam, atque vulgarem; seu magnitudinem Tabulae prope singularem consideremus. Ipse quidem Viro Praestantissimo gratulor, quod Κειμήλιον adeo insigne, ac praeclarum, in privata sua, sed rarissimarum huiusmodi antiqitatis reliquiarum praedivite, gaza esse voluerit; Florentiae quoque non minus gratulor, quod *Riccardiorum* Dynastarum cura, & diligentia, huiusmodi ornamentis in dies locupletior evadat; mihi autem maximo opere gaudeo, quod, ex tantorum Virorum magnificentia, in venerandae vetustatis penetralia latior usque aditus pateat. De Tabulae mensura, latitudine scilicet, & altitudine, nihil heic dicam, quum possit quilibet ex adposita eius imagine, aequali prorsus αὐτογράφῳ, & quamsimillima, easdem dimetiri. Ante quam tamen ad alia gradum facio, Inscriptionem ipsam heic iterum exscribere iuvat, ut commodius, faciliusque, ab omnibus legatur, quum usitatis characteribus exhibeamus.

. L · MARIO · MAXIMO · II · L

M · ANTONIVS · PRISCVS · L · ANNIV
NOMINA · DECVRIONVM · IN AERE ·

PATRONI C.C.V.V.
APP. CLAVDIVS IVLIANVS
T. LORENIVS CELSVS
M. AEDINIVS IVLIANVS
L. DIDIVS MARINVS
L. DOMITIVS HONORATVS
M. ANTONIVS BALBVS
M. STATIVS LONGINVS
L. PONTIVS VERVS
C. BETITIVS PIVS
C. GAVIVIVS MAXIMVS
C. FVRIVS OCTAVIANVS
L. BRVTTIVS PRAESENS
C. BRVTTIVS CRISPINVS
. . . .
C IVNIVS NVMIDIANVS
M. PAPIRIVS CANDIDVS
L. CAECILIVS MAXIMVS
Q. CAELIVS FLAVIANVS
L. LVCILIVS PRISCILIANVS
L. PONTIVS BASSVS
L. PONTIVS MAVRICVS
M. ANTONIVS CRISPINVS
TI. IVLIVS LICINIANVS
C. SVLPICIVS ARRENIANVS
C. LICINIVS LICINIANVS
L. VALERIVS TVRBO
L. FLAVIVS LICINIANVS
P. MARCIVS MAXIMILLIANVS
M. STATIVS PATRVINVS
M. STATIVS LONGINVS. IVN
M. VALERIVS TVRBO IVN

PATRONI . E.E.Q. Q.R.R
P. GERELLANVS MODESTVS
T. LIGERIVS POSTVMINVS
T. MVNATIVS FELIX
T. FLAVIVS CROCALIANVS
C. GALBIVS SOTERIANVS
T. AELIVS RVFVS
T. AELIUS FLAVIANVS
Q. COELIVS SABINIANVS

QVINQVENNALICII
T. LIGERIVS POSTUMINVS
T. ANNAEVS RVFVS
L. ABVCCIVS PROCVLVS
T. AELIVS RVFVS
T. AELIVS FLAVIANVS
M. ANTONIVS PRISCVS
L. ANNIVS SECVNDVS

ALLECTI INTER QVINQ.
C. GALBIVS SOTERIANVS
L. ABVCCIVS IVLIANVS
C. SILIVS ANTIIVS
P. AELIVS VICTORINVS

II VIRALICII -
A. CAESELLIVS PROCVLVS II
L. FAENIVS MEROPS . II.
L. ABVCCIVS MAXIMIANVS
Q. IVNIVS ALEXANDER . II.
M. AEMILIVS MARCELLVS
C. IVLIVS HOSPITALIS
L. MARCIVS FORTVNATIANVS
C. FVLVIVS SATYRVS
P. LIBVSCIDIVS VICTORINVS
Q. FABIVS FELICISSIMVS
L. AELIVS ANTONIVS
L. HERENNIVS ARESCVSIANVS
T. CVRIVS SALVIANVS
A. KANVLEIVS FELICISSIMVS
L. AELIVS ANTONIVS
L. HERENNIVS ARESCVSIANVS
T. CVRIVS SALVIANVS
A. CANVLEIVS FELICISSIMVS
P. SERGIVS BASSAFVS
P. GRAECIDIVS FIRMVS
M. ATHANIVS FELICISSIMVS
C. VIBIVS OCTAVIANVS
TI. CLAVDIVS ONESIMIANVS
L. ANNIVS PIVS
Q. IVNIVS ONESIPHORVS
C. LVCRETIVS VENVSTVS
A. FABIVS CASSIANVS
L. TRICCIVS APOLLINARIS
M. APRONIVS PRIMVS
P. ESQVILIVS SILVANVS
Q. IVNIVS RVSTICVS
P. CLODIVS DASIMIANVS
L. ABVCCIVS FELICIANVS

ROSCIO · AELIANO -- COS- .
· SECVNDVS · II VIR · QVINQVENN-
NCIDENDA · CVRAVERVNT -

AEDILICII
T. FLAVIVS CROCALIANVS
C. ENNIVS MARCIANVS
SEX. TEDIVS PRISCVS
P. GRAECIDIVS IVSTVS
TI. CLAVDIVS CANDIDVS
M. SERVILIVS HELIVS
T. ARTORIVS MINERVALIS
L. HERENNIVS CRESCENS
T. FLAVIVS MARINVS
L. CLATIVS SECVNDINVS
L. ABVCCIVS EVRYALVS
P. MARCIVS CARPOPHORVS
L. DASIMIVS PRISCVS
Q. FABIVS THALAMVS
T. CLAVDIVS EVTYCHIANVS
M. SEMPRONIVS SABINIANVS
C. ENNIVS PRISCIANVS
L. FAENIVS MEROPS. IVN.
M. ANTONIVS VINDEX

QVAESTORICII
L. CEIVS ASCLEPIODOTEANVS
L. ABVCCIVS LABERIANVS
D. BALONIVS FELIX
T. FLAVIVS IVSTVS
T. FLAVIVS QVINTIO
M. SAVFEIVS CONSTANS
M. MARCIVS IANVARIVS
P. SERGIVS AVGVRINVS
M. AVRILIVS ACRISIVS

PEDANI
Q. FABIVS FABIANVS
L. VIBIVS IVVENTIANVS
P. GRAECIDIVS VESTINVS
P. CARINATIVS AGATHANGELVS
C. TERENTIVS PRISCINVS
C. POMPONIVS CVPIEVS
C. PETICIVS DIONYSIVS
SEX. CALPVRNIVS AEMILIANVS
L. NOVIVS ALTICVS
C. VIBIVS SATVRNINVS
P. PACILIVS CHRYSOMALLVS
T. POMPONIVS FELIX
M. AVRELIVS MAXIMVS
P. AGRIVS PIETAS
Q. IVNIUS SILVANVS
A. KANVLEIVS ONESIMIANVS
T. POMPEIVS VITALIS

C. FVFIDIVS RVFVS
T. POMPEIVS ALEXANDER
C. LVCRETIVS VENVSTVS . IVN
C. IVLIVS STACHYS
M. ATHANIVS FELIX
L. HERENNIVS CELSVS
D. SATRENIVS SATRENIANVS
T. POMPEIVS ATTALVS
P. ESQVILIVS SILVANVS
TI. CLAVDIVS ONESIMIANVS IVN
Q. IVNIVS MVSOGENES
P. RVTILIVS TERTVLLINVS
T. CLAVDIVS VERVS
M. VIPIVS ANTHIMVS
P. PVBLICIVS MAXIMVS

PRAETEXTATI
T. FLAVIVS FRONTINVS
B. IVLIVS HOSPITALIS IVN
L. ABVCCIVS PROCVLVS IVN
M. AVRELIVS MARVLLVS
L. AELIVS NECTAREVS
T. EGGIVS MAXIMVS
C. VIBIVS MARCELLVS
P. PVBLICIVS MAXIMVS. IVN
L. ANNIVS RVFVS
L. TRICCIVS APOLLINARIS IVN
M. AVRELIVS IVLIVS
M. AVRELIVS AGRIPPINVS
L. ATTIVS IANVARIVS
C. GALBIVS ATTICILLIANVS
C. VIBIVS FAVSTINVS
T. POMPEIVS ASCLEPIVS
L. TIMINIVS PONTICVS
M. AVRELIVS VALENS
C. GALBIVS AMANDVS
M. SERVILIVS MARCELLVS
M. GAVIVS RVFVS
L. DASIMIVS IVSTVS
Q. IVNIVS TROPHIMIANVS
T. FLAVIVS SILVINVS
TI. CLAVDIVS FORTVNATVS

Antequam etiam ad Tabulam hanc enarrandam adgredior, lubet heic describere, quae de ea laudatus *Henr. Norisius* in sua *Epistola Consulari* habet, & sunt quae sequuntur: *Anno. V.* 976. *Christ.* 223. *annum in fastis signarunt* Maximus & Aelianus. *Panvinius Maximi, uti erat in fastis, cognomine tantum scripto*, Papirium Aelianum *alterum nuncupat. Idem omnino scribit* Leunclavius. *Vtrumque Consulem exhibet Tabula abenea in agro Canusino nuper reperta, quam anno* 1681. *Venetiis vidi, eamdem mihi indicante Illustrissimo, & Excellentissimo Domino Iulio Iustiniano D. Marci Procuratore, antiquissimae familiae nobilitate, eximia eruditione, veterum monumentorum peritia, & quod in magna fortuna rarum, promta ac facili comitate, domi, forisque conspicuus. In ea, inquam, grandiori Tabula initio statim legitur:*

L. MARIO . MAXIMO . II. L. ROSCIO . AELIANO . COS

M. ANTONIVS - PRISCVS . L. ANNIVS . SECVNDVS . II . VIR . QVINQVENN

NOMINA . DECVRIONVM . IN . AERE . INCIDENDA . CVRAVERVNT

Ibi recitatur postea catalogus Patronorum, Magistratuum, ac Decurionum, Coloniae, qui videri potest in exemplari Venetiis aereis formis edito, literis ad amussim prototypi delineatis. Hic habemus praenomina, ac familias Consulum, itemque alterum L. Marii Maximi Consulatum, quem post Prosperum, ac Cassiodorum, Panvinius, & exscriptor Leunclavius, ceterique, omiserunt. Vnus Idacius recte in fastis scribit: Maximo II. & Aeliano. *Exstant in Codice Iustinianeo plurima rescripta Imperatoris Alexandri Severi*. L. 3. de transact. L. 2. 3. de fide instrument. L. 6. de edendo, L. 8. de inoffic. testam. L 4. ad S. C. Velleian. L. 5. qui petant tutor. L. 6. 7. de admin. tutor. L. 1. ubi pupilli, L. 3. de servit. L. 10. de evict. *& alia passim, quae signantur data, aut proposita*, Maximo II. & Aeliano Consulibus. *Auctor est Dio. lib.* 78. *Macrinum Augustum detulisse Praefecturam Vrbis Advento, qui cum, ob literarum imperitiam, pessime eo munere fungeretur*, factum est, ut non multo post eius loco Praefecturam Vrbanam Mario Maximo tribueret, *qui anno Christi* 218. *nempe quinto ante secundum suum Consulatum, Praefectus Vrbi fuit. Inferius etiam recitat, quae idem Macrinus, post rebellionem Antonini Elagabali, scripsit* Maximo Praefecto Vrbis. *Num hic idem fuerit Marius Maximus, qui plurium Imperatorum vitas in literas misit, ac laudatur a Capitolino cap.* 15. *in Pertinace, a Lampridio in Commodo cap.* 18. *a Vulcatio in Avidio cap.* 6. *a Spartiano in Hadriano cap.* 20. *in medio relinquo. Equidem Vossius lib.* 2. *de Historicis Latinis cap.* 3. *recte observat, Marium Maximum vitam quoque Alexandri Severi descripsisse, teste Lampridio cap.* 48. *in Alexandro; illum vero nusquam memorari a Scriptoribus, qui successorum Alexandri gesta enarrarunt, ut plane videatur eodem Alexandro imperante floruisse. Panvinius Aelianum Marii Maximi collegam Papiriae genti deputavit, quod Aelianus Consul A. V.* 940. *Commodo Imperatore, Papirius dicebatur. Verum exstat Romae Inscriptio apud eruditiss. Fabretum, in qua laudatur Traianus* TRIB . POT . IIII. COS . III. DESIG.... *eaque dicitur dedicata* IIII. K. IAN.

L . ROSCIO . AELIANO

TI . CLAVDIO . SACERDOTAE . COS

Ha-

Habemus hic Consules suffectos postrema parte anni Christianae epochae 100. *post bimestrem consulatum C. Plinii, ac Tertulli Cornuti; illorum autem primus L. Roscius Aelianus dicebatur, uti & collega postea Marii Maximi, e Consulari Rosciorum gente natus.* Ex *Norisio* huius Tabulae, & Inscriptionis notitiam hausit vir doctissimus *Antonius Pagius*, eiusque meminit ad annum Aerae Vulgaris CCXXIII. his verbis: *Ad numerum I. Cos. L. Marius Maximus II. & L. Roscius Aelianus, ut ostendit Card. Norisius ex Tabula Aenea nuper reperta, & ex variis Codicis Iustiniani rescriptis, in quibus Maximus cum nota numerali effertur.* *Raphael* autem *Fabrettus pag.* 598. & 599 ubi de *Aedinia* gente agit, non tantum huius Tabulae meminit hisce verbis: *Huius mentio in lamina ista Canusina Col. I. ex qua Eminentissimus Norisius nomen secundi Consulis Lucii Roscii Aeliani emendavit, qui a Pagio* (in Dissertatione Hypatica) *cum Panvinio, & Leunclavio, Papirius Aelianus dicitur*; verum etiam integram ipsam Inscriptionem retulit. Sed iam tempus est ea exponendi, quae in hanc Inscriptionem breviter commentatus sum.

L. MARIO MAXIMO II.

De gente *Maria* multa habent scitu digna *Ful. Ursinus*, *Carol. Patinus*, & *Thesaurus Morellianus*, qui de Familiis Romanorum agunt, ad quos Lectorem amandamus, ne superflua eum prolixitate teneamus. Multas quoque Inscriptiones ad *Mariam* gentem pertinentes legere est apud antiquorum Epigrammatum Collectores, ut *Gruterum*, *Reinesium*, *Gudium*, *Muratorium*, aliosque, quas heic referre nostra parum interest. *Lucii* praenomen *Mariae* genti usitatum fuisse, evincunt eaedem Inscriptiones apud eosdem Collectores, & numi quidam ipsi, quos *Ursinus*, & *Morellianus Thesaurus*, exhibent. Sed iam ad nostrum *L. Marium Maximum* Consulem deveniamus. De eo, uti Consule, loquitur Inscriptio apud Clarissimum *Muratorium*, quae ita habet:

IN HD. D. PRO
SALVTE IMP. SEVERI
ALEXANDRI. AVG. DEO
APOLLINI. DYSEROLVS
OLO DE MILITES. LEG
XXX. V. V. P. F. SVB. CVRA
AGENT. T. F. APRI. COM
MODIANI. LEG. AVG. P. P. Ꝛ
CANVTI MODESTI LEG
LEG. SEPT. MVCATRA.
IMAG. ET SEPT. GALLVS
ET SEPT. DEOSFOR. ET SEPT
SAMNVS. Ꝛ. SEPT. MVCATRA
CANDIDATI. V. S. L. M.
MAXIMO. ET AELIANO COS

Ad hanc Inscriptionem laudatus *Muratorius* haec adnotat: *Albingius in Notitia Germ. Infer. legit in postrema linea* MAXIMO II. ET AELIANO COS

In

In quarta habet DVS PROCVLVS. *In nona* CANNVTI. *In undecima* CALLVS. *In decimaquarta* SAMVS. Haec ille. In Fastis autem Consularibus a *Norisio* post Epochas Syromacedonum editis ita legitur: *Maximo & Aeliano Mer. X.* Fasti Idatiani habent: *Maximo II. & Aeliano*, seu *Heliano*. Bucherianus Catalogus: *Consulatu Maximi, & Aeliani*. Hic autem Consulatus incidit in annum a Christi ortu CCXXIII. *Alexandri Severi* primum, & secundum. Aliae Inscriptiones apud eumdem *Muratorium*.

L. MARIO MAXI
MO. V. C. PRAEF
VRBI. COS
Q. ATTIVS. Q. F
SABINVS
OB MER

IOVI. O. M. ET
FIDEI. CAND. SACR
PRO. SALVTE
L. MARI. MAXIMI
C. V. PRAEF VRB
COS. SVFFRAGATOR
Q. ATTIVS COLL
F. C.

Ad hanc ultimam Inscriptionem ita *Sponius* in Miscellaneis Eruditae Antiquitatis: *Candidati ii erant, qui Magistratum aliquem petebant, ita dicti, quod candidis vestibus creta dealbatis utebantur, a quibus fidem exigi non mirum est. Virtutes autem pro Diis habebantur. Hinc Fidei publicae dedicatum marmor legimus apud Gruterum. Lucius hic Marius Maximus C. V. idest, Consularis Vir, Praefectus Urbi & Consul, vel Consulis Suffragator, vocatur. Suffragator idem existimo esse, ac suffectum. Ii scilicet qui sufficiebantur in locum Ordinariorum, qui ante exactum annum moriebantur. Sic posteriori aevo Episcopi Suffragatores & Suffraganei dicti, Vicarii, & Adiutores Episcoporum Metropolitanorum.* Si autem res ita habet, haec Inscriptio non pertinet ad hunc *L. Marii Maximi* Consulatum, in quo Collegam habuit *L. Roscium Aelianum*; sed ad alium Consulatum, in quo eius Collega fuit *Q. Attius*, qui, quum in Fastis Consularibus non reperiatur, forte Consul subfectus fuit. Occurrit quidem in Fastis Consularibus *C. Attius Sabinus Cos. II.* anno Ch. CCXVI. nec mirum, novumque, esset, praenomen eiusdem hominis diversimode in diversis scripturis legi; sed si *L. Marius Maximus* fuit hoc anno Consul subfectus una cum *Q.* seu *C. Attio Sabino*, in locum *Cornelii Anulini* vita functi succedens; non video quomodo hoc anno Praefectus Vrbi esse potuerit; quum haec dignitas duobus post annis ei conlata fuerit, ut mox videbimus. Si autem haec constant, alii *Maximi*, qui ante annum CCXXIII. in Fastis Consularibus signantur, anno scilicet CCVII. & CCLXII. noster *Maximus* esse non possunt; sin vero minus, licet ad decrepitam senectutem pervenire interdum homines videamus, tamen probabilius, ac verosimilius existimaverim, illum

Ma-

Maximum fuisse, qui anno CCVII. una cum *Apro* Consulatum gessit, ad quem quidem Consulatum sequens Inscriptio pertinet apud *Gruterum pag.* CIII. 6.

V. IDVS IVNIAS
APRO ET MAX
COSS

Si illud V. C. *Virum Consularem* significat, ut *Sponius* censet, oportet & ut ante annum CCXVIII. Consul ille fuerit, aut saltem ante hunc annum, quo fuit Consulis Suffragator; adeoque noster *Maximi* Consulatus non secundus, sed tertius, esset, contra Fastorum, & Inscriptionum fidem: sed forte V. C. *Virum Clarissimum* denotat, quo titulo Praefectus Vrbi donari potuit, prout ex aliis vetustis Epigrammatis colligi posse videtur. Post haec de *L. Marii Maximi* Consulatibus disputata, ad aliam eiusdem dignitatem considerandam gradum faciam, hoc est, Praefecturam Vrbis, qua *Maximus* ille insignitus fuisse videatur ex Inscriptionibus, quas superius protulimus; in iis enim *L. Marius Maximus*, & *Vir Clarissimus Praefectus Vrbi* dicitur, & COS. hoc est *Consul*, nominatur; alius autem *Marius Maximus* Consul non occurrit. *L. Marium Maximum* Praefectum Vrbi renunciatum fuisse a *Macrino Augusto* anno a Christi ortu CCXVIII. auctores sunt *Norisius*, & *Tillemontius* in *Macrino* §. VII. & in *Alexandro Severo* §. XXVI. At, ut vidimus, horum numeri constare non videntur, si *Attio Sabino* Consule iam Praefectura Vrbis ille fuit decoratus, hoc est anno CCXVI. Sed fortasse *Q. Attius* Collega *Marii Maximi* alius fuerit a *Q. Attio Sabino* Consule ordinario; & tam *Q.* ille *Attius*, quam *Marius Maximus*, Consules ambo subfecti fuerint anno CCXIII. *Norisius*, unum, eumdemque *Maximum* Consulem, & Praefectum fuisse adseveravit; & hunc ipsum *Marium Maximum*, esse etiam illum Historicum, qui saepius ab Histor. Augustae Scriptoribus laudatur, credidit *Henr. Valesius* ad *Ammianum Marcellinum*, & probabile putat *Tillemontius* in *Alexandro Severo* §. XIV. & quidem aetas, & nomen quammaxime conveniunt; sed *Norisius* ἐπέχει. De *Mario* autem *Maximo* Historico ita *Isaac. Casaubonus* in Notis ad *Spartianum* in Vita Hadriani scribit: *Marius Maximus, Historiae Augustae Scriptor, inter primos e Latinis, unde pleraque constat desumta, quae hisce continentur libris, ad Alexandrum usque Severum, in quo Principe videtur Marius scribendi fecisse finem, ipse, nisi fallor, eorum temporum aequalis. Opus suum in septenorum librorum tomos aliquot tribuerat: nam alibi eum Spartianus in primo Septenario laudat. Scribit Ammianus Marcellinus, fuisse suo saeculo multos, qui in summo veterum omnium Scriptorum fastidio, hunc solum ex Historicis, ex Poetis unum Iuvenalem, mirarentur, ac studiose lectitarent. Qui si iudicio pari Maximi Historiam, ac Juvenalis Satiras, probarunt: nae actum male nobiscum, quibus eius viri omnia monumenta perierunt. Sed non omnium de tanta Marii Maximi praesentia idem fuit iudicium; nam Flavius Vopiscus Scriptor elegantissimus, longe aliter de eo pronunciat libelli eius initio, quo Firmum, & alios tres minusculos Imperatores, posteris tradidit. Laudatur Marius Maximus & a veteri Iuvenalis Interprete.* Hactenus ille. *Io. Gerardus Vossius* autem Libro II. de Historicis Latinis Cap. III. haec literis mandavit. *Proxime etiam post Severi Alexandri tempora fuit, quantum videre possum, Marius Maximus. Priorum enim vitas composuit; eorum, qui consequuti, ut arbitror, neminis. Vitam edidit Traiani, ut testis est Lampridius. Videtur ex*

ea esse, quod de damnatione Palfurii Consularis vetus Iuvenalis Scholiastes refert in Satiram IV. Etiam vitam scripsit Hadriani, ut tribus, quatuorve, locis Spartianus in Hadriano, & Lampridius in Alexandri Severi vita, indicat. Item vitam Aelii Veri, ut ex eodem constat Spartiano. Item Antonini Pii, ut auctor Capitolinus; & vitam M. Antonini Philosophi, uti Vulcatius in Cassii vita testatur: qui semel iterumque secundum de Vita Marci Antonini librum advocat. Item Commodi, teste Lampridio in huius vita. Et Pertinacis, teste Capitolino in vita eius. Et Severi, ut auctor Spartianus in vita illius: item Capitolinus in Albino, his verbis: Quae qui diligentius (de Severo) scire velit, legat Marium Maximum, de Latinis Scriptoribus: de Graecis, Herodianum: qui ad fidem pleraque dixerunt. Iterum Spartianus in Geta, ubi legas: De Getae vita, & moribus. In vita Severi: Marius Maximus primo Septenario satis copiose retulit. Item vitam Heliogabali scripsit, quod disertim in monstri huius vita Lampridius ait: & Alexandri Severi: ut idem in Severo dicit. De eodem sic Vopiscus in quatuor Tyrannis: Marius Maximus Avidium Macrini temporibus, Albinum, & Nigrum, Severi, non suis propriis libris, sed alienis, innexuit. Et mox: Marius Maximus, homo omnium verbosissimus, & Mythistoricis se voluminibus implicavit. Unde videmus, Vopiscum haud magni hunc Maximum fecisse. Alii tamen, ut nomine, sic re ipsa, Maximum esse arbitrabantur, ut ostendit locus iste Ammiani Marcellini lib. XXVIII. *Quidam detestantes, ut venena, doctrinas, Iuvenalem, & Marium Maximum, curatiore studio legunt, nulla volumina, praeter haec, in profundo otio contrectantes. Sed Vopisco credere malumus, praestantis iudicii Scriptori, quam istis, qui eruditionem venenum putarent.* Atque haec quidem *Vossius*, a quibus non absimilia habet *Tillemontius*. *Valesii* autem ad *Ammiani Marcellini* librum XXVIII. haec de *Mario Maximo* habent: *Marius Maximus Vitas Caesarum scripsit, ut ex Spartiano, & Scholiaste Iuvenalis notum est. Fuit autem Praefectus Urbi, imperante Macrino, ut scribit Dio in libro* LXXXVI. *& successit Advento Praefecto Urbi, ut idem Dio testatur.* Alius *Marius Maximus*, sed *Duplicarius Legionis II. Parthicae Severianae* occurrit in Inscriptione Doniana *Clas.* VI. 91.

L. ROSCIO AELIANO COS.

De gente *Roscia* iidem illi Scriptores Antiquarii, quos pro *Maria* gente superius laudavi, agunt, numum in medium producentes, in quo L. ROSCIVS FABATVS memoratur; & Inscriptiones plures ad *Rosciam* gentem pertinentes reperire est apud antiquorum Epigrammatum Editores, in quibus & *Lucii* praenomen frequens occurrit. In Fastis Consularibus, ut vidimus, *Aelianus* tantum nominatur; & quamquam *Aeliani* alii Consules non multo ante in iisdem Fastis recenseantur, anno scilicet CLXXXVII. quo Consules fuerunt, *Crispinus*, & *Aelianus*; & anno CLXXXIV. quo eamdem dignitatem *Marullus*, & *Aelianus* obtinuerunt: non tamen eumdem esse *L. Roscium Aelianum* hunc existimandum est; nam in hac nostra Tabula Consulatus numerus omittitur, quod quidem luculenter indicat, hunc eius Consulatum, quem cum *Mario Maximo* gessit, primum fuisse. *L. Roscii Aeliani* Consulis mentio quoque habetur in Inscriptionibus vetustis a *Muratorio* adlatis, quae sunt insequentes. Prima vero Inscriptio apud *Muratorium pag.* CCCLV. an vere ad Consulatum spectet dubitantem, ita habet.

LA-

LARIBVS AVGVSTIS ET GENIS CAESARVM
IMP. CAESARI D. NERVAE FILIO NERVAE TRAIANO AVG. GERM. PONTIFICI MAXIMO
TRIB. POT. IIII. DESI.......
PERMISSV C. CASSI INTERAMNANI PISIBANI PRISCI PRAETORIS AEDICVLAM REG. XIIII.
VICI CENSORI MAGISTRI ANNI
VETVSTATE DILAPSAM IMPENSA SVA RESTITVERVNT IDEM PR. PROBAVIT
L. ROSCIO AELIANO —— L. CERCENIVS L. LIB. HERMES M. LIVIVS D. LIB. DONAX DEDIC
TI. CLAVDIO SACERDOTAE. P. RVTILIVS. P. F. PRISCVS L. CORANIVS L. LIB. EVARISTVS IIII. K. IAN.

Cl. *Muratorius pag.* CCCLV. duplicem heic haberi Inscriptionem opinatur, alteram altera vetustiorem; priorem positam anno Christi C. quum *Aedicula regionis quartaedecimae Vici Censorii* dedicata fuit *Laribus Augustis*, & *Geniis Caesarum*; posteriorem vero, quum Aedicula illa, vetustate conlapsa, restituta est *L. Roscio Aeliano*, & *Ti. Claudio Sacerdote* Consulibus, ut ei videtur; nam in laterculis Consulum gemina haec nomina coniuncta minime occurrere, ait. At quid opus duplicem hanc Inscriptionem censere? Nonne satius fuerit cum *Norisio*, & pereruditο *Dominico Mansio*, arbitrari, Inscriptionem hanc totam ad annum Christi C. pertinere? & hosce *L. Roscium Aelianum*, & *Ti. Claudium Sacerdotem*, alios, diversosque esse a *Luciis Rosciis Aelianis*, & *Sacerdotibus*, qui posterioribus temporibus in Fastis Consularibus occurrunt, ut recte ac sapienter opinatur *Norisius*? Fallitur enim *Mansius*, dum scribit, hunc *L. Roscium Aelianum* eumdem adfirmari a *Norisio*, atque illum, qui anno CCXXIII. una cum *Mario Maximo* Consul fuit; quum *Norisius* tantum scribat, utrumque eadem nomina habuisse, & ex eadem *Roscia* Consulari gente fuisse. Nimium temporis intervallum inter annos C. & CCXXIII. intercedit, pro vitae humanae modulo. Insuper observandum est, eumdem *Muratorium* eamdem Inscriptionem paullo aliter retulisse etiam *pag.* CCCXV. nec ibidem veritum esse, ne non tota eiusdem esset vetustatis. Eadem esse videatur legenti, quae prius apud *Fabrettum* fuerit, qui eam edidit in Syntagmate de Columna Traiani *Cap.* IX. & deinde in Museum Cardinalis *Alexandri Albani* translata, ac tamdem in aedes Capitolinas invecta est. In hac demum non est dubitandum, quin *L. Roscius Aelianus*, & *Ti. Claudius Sacerdos*, Consules fuerint, quum post eorum nomina COS. adponatur, ut etiam *Norisius* legit; quicumque autem in Museo *Albaniano* hoc Epigramma exscripsit, illud COS. omisit; nisi hodie potius extritum, aut fractum est. Itaque nulla caussa subest, cur an hi Consules fuerint dubitemus, nec eos ad annum C. referamus. Insuper non statim, quod hic *Sacerdos* praenomen, ac nomen, *Ti. Claudium* habuerit, censendum est, etiam illum *Sacerdotem*, qui Consul anno CCXIX. scribitur, iisdem praenominibus insignitum fuisse; quum & *Licinius Sacerdos* Consul alicubi occurrat. Itaque hinc conligendum esse videtur, hanc Inscriptionem nihil ad nostrum *L. Roscium Aelianum* attinere. Pertinet tamen ad ipsum Inscriptio, quam superius, quum de *Mario Maximo* agebamus, produximus, quemadmodum illic exhibita Fastorum Consularium testimonia. *Aelianus* quidem alius per haec tempora fuit Sophista percelebris, & qui idem esse potest, ac ille, qui de varia historia, & de animalibus, scripsit; sed quum *Claudius Aelianus* adpellaretur, idem, ac noster *Roscius Aelianus*, esse non potest. Alium *L. Roscium Aelianum* invenio apud *Muratorium pag.* MDCXXXVI. sed cognomine *Paculi* adiecto. Inscriptio ita habet.

D. M
M. ARMAERONTIS
PERMISSV
L. ROSCI AELIANI
PACVLI
VIBVS SIBI
FECIT

Alius item *Roscius Paculus Aelianus* habetur in Inscriptione apud *Gruterum pag.* XVIII. quaeque integrior, & emendatior profertur a *Norisio* in *Epistola Consulari*.

IOVI O. M
CONSERVATORI. POS
SESSIONVM. ROSCIOR
VM. PACVLI AELIANI. N. COS
ET. RASSAE. FILIORVMQVE
EOR. EX. VOTO. L
ROSCIVS. EVBVLVS. NVTRIT
ET. PROCVRAT. CVM. P. ROSCIO
FIRMO. LIB. PROC. EOR

In latere autem basis scriptum est.

D. IIII. NON. MART
IVLIANO II. ET. CRISP....
COS

Haec Inscriptio posita est anno CCXXIV. anno scilicet primo a Consulatu *L. Roscii Aeliani*. Num illud N. COS. illum Consulatum respicit? Num *L. Roscius Aelianus* Consul inter sua nomina etiam *Paculum* habebat?

M. ANTONIVS PRISCVS

Minime dubitandum videtur, easdem saepe gentes, & familias, & quidem non quoad nomina tantum, ac quae Romae erant, in Coloniis, & Municipiis, reperiri, quod pluribus exemplis in medium adductis evincere esset. En in hac nostra Tabula gentem *Antoniam*, & in ea illustre praenomen *Marcum*. Hoc idem nomen *M. Antonius Priscus* occurrit in Inscriptione Antiate apud Cl. *Muratorium pag.* MCXXXII.

MARCO ANTONIO PRISCO
ANTONIA M. F. TERTVLLA
MATER CALAMITOSA
VNO TEMPORE DVORVS AMISSIS
FILIIS SVIS DAT.

Idem autem hic esse, qui *M. Antonius Priscus*, quo de agitur, non videatur.

L. ANNIVS SECVNDVS

En

En aliam Romanam gentem *Anniam*, quae pariter Coloniam, vel Municipium, inhabitat; & *Annius Secundus* memoratur etiam in vetusto Lapide apud laudatum *Muratorium pag.* DCCLXXIX. qui in Montesilice exsistere dicitur.

L. ANNIVS. P. F. FAB. SECVNDVS
TRIB. MILITVM PRAEF. I. D. C.
V. R. A. E. R. C. F.

At non statim dixerim & hanc gentem, eamdem ac Romanam origine, & adgnatione, fuisse, quamvis non me fugiat Romanas familias in Colonias deductas esse.

II. VIR QVINQVENN.

Princeps Coloniarum, & Municipiorum, Magistratus Duumviratus erat, quamvis aliter aliae Coloniae interdum adpellarent, ut *Aediles*, *Dictatores*, *Consules*, *Praetores*; & quales Consules Romae, tales Duumviri in Coloniis. Duumviratus quoque annuus erat post *Augusti* tempora; quum antea incerti temporis fuisse, & quinquemestrem, & semestrem, & annuum etiam, doceat *Norisius*. Duumviri ex Decurionum, qui veluti Coloniae Senatum formabant, corpore legebantur, at non ex quibuslibet quidem Decurionibus, sed ex potioribus. Hi duobus fascibus alternatim, non secus ac Romani Consules duodecim, temporis progressu usi sunt; quare *Honorius* Imperator, eorum potestatem, *potestatem fascium* adpellat, in *Leg. Duumvirum* 53. *Cod. de Magistr. Municipal.* Coloniae enim omni cultu usque ad ambitionem imitari, ac spirare studebant urbem parentem, cuius ex utero incolae traduces ad alias inhabitandas terras mittebantur, ut ait *Pitiscus*, qui de Duumviris, & eorum honoribus egregie differtat. Duumviri tribus ante, aut pluribus mensibus, quam Magistratum inirent, nominabantur, ut si forte iustam recusandi caussam habuissent, alii eorum loco, congruo tempore, substitui possent, *L.* 1. *Cod. de Magistr. Municip.* Kalendis vero Martiis Magistratum nominabant, inquiunt *Constantius*, seu *Constans*, Augustus, *L.* 28. *Cod. Theod. de Decurionibus*, ut splendidiorum honorum, munerumque, principia primo tempore procurentur. Creati olim populo munus gladiatorium edebant, id est, aliquot paria gladiatorum ad certamen committebant. Quum autem Magistratum inibant, soliti sunt Decurionibus singulos, vel binos, denarios elargiri. Non unius generis erant Duumviri, quibus de agit *Pitiscus* laudatus, & occurrunt passim in Indicibus Gruterianis, aliorumque Eruditorum, qui antiquas Inscriptiones congesserunt. Nos tamen hactenus de Duumviris, summo Coloniarum & Municipiorum Magistratu, loquuti sumus, a quibus differebant Duumviri Quinquennales, ita dicti, quod iudicandi munere quandoque quinquennio fungerentur. Istorum Duumvirorum distinctio apertissima est in lapide *C. Aedii*, qui ita habet: II. VIR II. VIR. QVINQ. Sicuti a IIII. Viris Iuri dicundo, IIII. Viri Quinquennales diversi erant. Ecce antiquam Inscriptionem *C. Veridieni* III. VIR. IVR. DIC. IIII. VIR QVINQ. ut alias omittam. Duumvirum Quinquennalium mentionem habemus in insequentibus Inscriptionibus apud *Muratorium pag.* CCXXV. & CCCCLXXX. & in sexcentis aliis.

C. CAESAR AVG. GERMANIC. IMP. P. M. TR. P. COS
CN. ATEI. FLAC. C. N. POMP. FLAC. II. VIR Q. V. I. N. C.
SAL. AVG

Alia

Alia

C. OBINIVS C. F. RVF
SEX. MVINIVS. C. F.
II VIRI QQ. EX D. D.
P.P. H-S ∞ DCIIX
AD. EORVM PECVARI
VIAM STERNVNDAM
CQERARVNT

Duumviri Quinquennales aliquando erant Duumviri *Iuridicundo*, ut habetur in lapide Tergestino apud *Gruterum*, *pag.* CCCLXXXVIII. & in aliis monumentis apud *Muratorium pag.* DCCXXXVI. DCCXXXIX. Aliquando Duumvir *Aedilis*, apud eumdem *Muratorium pag.* DCCV. Aliquando Duumvir *Censoria potestate*, ut habetur ibidem *pag.* CXXXV. Et quoniam Duumvirum Censoria potestate mentio incidit, animadvertendum est, *Pitiscum* opinari Duumviros Quinquennales, Censoribus quibusdam similes fuisse, *Val. Chimentellii* vestigiis insistentem, qui ita in Libro *De honore Bisellii Cap. V.* scribit *Quinquennales extra Romam Censoribus quibusdam similes in suis Civitatibus praefuere : sic & Quinquennii spatium censioni faciendae, unde nomen Quinquennali huic honori*. Sed & ipsum *Pitiscum* disserentem audiamus : *Quinquennales ego Coloniarum Censores interpretor ...... Censores, Censumque, in Coloniis fuisse, vel ex S.C. de XII. Coloniis, quae Quinctis Fabio, & Fulvio Cos. abnuissent milites dare, quod exstat apud Livium* XXIX. 15. *in promtu est*. Consulatur idem in voce *Duumvir*, & in voce *Quinquennalis*. *Quinquennalis Magistratus* meminit *Apuleius Lib.* x. *Metam. Thyasus*, inquit, *gradatim permensis honoribus quinquennali Magistratui fuerat destinatus, &, ut splendori capessendorum responderet fascium, munus gladiatorium triduanis spectaculis pollicitus, latius munificentiam suam protendebat*. Verum tamen est alios quosdam etiam Magistratus, praeter Duumviros, fuisse Quinquennales. Ecce in Inscriptionibus apud *Gruterum* occurrit *Decurio Quinquennalis* CCCLXXXVIII. 7. *Quaestores Quinquennales*, forte apud eumdem *pag.* CCLV. 3. & apud *Muratorium pag.* CCCCLXXIII. 2. *Patroni Quinquennales* apud *Muratorium pag.* DXLIII. 4. *Magister Quinquennalis*, apud *Muratorium pag.* DCLXXXVII. 4. DCXCV. 7. DCXXIII. 1. DCCLL 3. *Quartumvir Quinquennalis*, apud eumdem *Muratorium pag.* X. 1. CCCLXVII. 1. DXII. 2. DXX. 1. & alibi passim. *Quirinalis Quinquennalis*, apud *Muratorium pag.* DCLXXXIII. 5. *Septemviri Quinquennales*, apud eumdem *pag.* CCXCII. 4. DCCXL. 1. *Triumvir Quinquennalis*, apud eumdem *pagina* DCCXXXVIII. 2. DCCLXXV. 7. Invenio etiam in antiquis Lapidibus *Quinquennalis*, & *Quinquennales*, absolute, & simpliciter positos, ut apud laudatum *Gruterum pag.* CCCCXI. 2. & apud *Muratorium pag.* CCCCLXXVIII. 2. CCCVIII. 1. & alibi passim. Insuper occurrit *Quinquennalis perpetuus* apud eumdem *Muratorium pag.* CXCVIII. 1. DXV. 5. & apud *Gruterum pag.* CCCCXIV. 2. MLXXXIII. 10. Hinc *Quinquennalitatis annus* apud eumdem *Gruterum pag.* CCCXXII. 8. *Quinquennalitatis honor* apud *Muratorium pag.* DCCXII. 4. *Quinquennalicia potestate* apud *Gruterum pag.* CCCCXCI. 7. Ita etiam *Spartianus*, de *Hadriano* agens, scribit : *In patria sua Quinquennalis : & idem Hadriae Quinquennalis, quasi in alia patria*. Ipse quidem puto cum *Pitisco*, licet varios Magistratus viderimus esse Quinquennales, tamen, quum *Quinquennalis* simpliciter dicitur, unum Magistratum Coloniarum praecipuum significari, seu II Viri, seu IIII Viri, habito respectu magnitudinis, & parvitatis Coloniae, essent, nisi

me-

melius *Norisius* opinatur IIII Viros introductos, quum II Viri iam fuissent aboliti. Dicebantur autem *Quinquennales*, quia per *quinquennium* Magistratum istum agebant. Quum autem superius II Viros, & II Viros Quinquennales, distinctos fuisse viderimus, qualemnam Magistratum hos Quinquennales Duoviros esse dicemus? Iam vidimus *Chimentellium*, atque *Pitiscum*, Censoribus quibusdam similes eos existimasse; nam Censura Romae primum Quinquennalis fuit; quae quidem dignitas summa erat, quare eam non absurde *Plutarchus* in *Catone Maiore*, omnium honorum apicem adpellavit. Ita in Coloniis, & Municipiis, Quinquennalitatis honor summus, & praecipuus haberi potuit, ut lubentius gereretur, quam simplex Duumviratus. Sed haec omnia recte processerint; scrupulum tamen iniicit *Apuleii* locus superius productus, in quo Quinquennali Magistratui fasces tribuuntur, qui, ut vidimus, Duumvirum proprii erant, qui Consules Romanos exhibebant quodammodo. Quare in hoc mihi haeret aqua, & non liquere pronunciandum est.

DECVRIONVM NOMINA.

Dum de II Viris verba faciebamus, de Decurionibus etiam obiter egimus. Decuriones igitur in Coloniis, & Municipiis, erant, qui Romae Senatores, Romani Senatus simulacrum, *ad imitationem Vrbis Dominantis*, ut loquitur *Iustinianus Novell.* XXXVIII. atque ut hic ex Senatoribus, ita in illis ex *Decurionibus* eligebantur Magistratus; eratque id in illis *Decurionum* Decretum, quod Romae Senatusconsultum. Quare Municipiorum, & Coloniarum, Senatores vocabantur. Numerus Decurionum in unaquaque Colonia a Triumviris, qui eamdem deducebant, constitutus erat. Postea Decurionibus accensebantur illi, quibus centummillium nummum, nempe duorum millium, & quingentorum *scutatorum*, facultates erant. Censebatur etiam inter *Decuriones*, qui ultra vigintiquinque iugera possidebat. Quum in ordinem reciperentur, binos denarios, vel huiusmodi certam quantitatem, singulis Collegis distribuebant; & quoties aliqua statua, aediculaque, dedicaretur, aliquid eo nomine recipiebant. Illorum honores onera erant, de quibus *Pitiscus* in *Decurio*, quem consule, sicut in eo, quod de aliis generibus Decurionum scribit.

IN AERE INCIDENDA CVRAVERVNT.

Sicuti Romae Censores Senatum, Senatoresque, legebant; ita Duumviri Quinquennales in Coloniis, & Municipiis, Decuriones. Censores enim singulis lustris totum Senatorium ordinem diligenter examinabant, & in demortuorum locum, vel eorum, quos moverant, novos sublegebant. Expleto Senatorum legitimo numero, omnium nomina in tabulas referebant, & suo quemque loco iubebant recitare. Non aliter factum puto in Decurionum electione; & haec nostra Tabula illa ipsa esse videtur, in qua lustro peracto Decurionum nomina relata fuerunt a Duumviris Quinquennalibus. Moris autem erat apud antiquos in aere plerumque scribere, quare Romanae, aliarumque gentium, leges, in aere incidebantur, atque ita servabantur; cuius scribendi rationem sexcenta vetera monumenta, quae adhuc supersunt, luculente confirmant, ut Senatusconsultum de Bacchanalibus a viro docto *Matthaeo Aegyptio* inlustratum; Cenotaphia Pisana, ut *Henricus Norisius* eorum enarrator luculentus adpellat; Tabulae Eugubinae, in quarum interpretatione multi frustra hactenus desudarunt; Tabula honestam missionem continens, quae in Museo Medicco ad-

adſervatur; noſtra denique haec Tabula, ut infinitas alias ſilentio praeteream, quae apud Antiquarios occurrunt. Haec Decurionum nomina in noſtra Tabula inciſa CLXIV. ſunt, quare dicendum eſt, etſi verum eſſet, quod *Noriſius*, aliique, habent, initio in Coloniis centum tantum Decuriones conſtitutos eſſe, ad primae Senatorum Romanorum inſtitutionis fortaſſe imitationem, deinde tamen alios in illum ordinem adlectos fuiſſe non ſecus, ac Senatui Romano contigit, uti ſuperius etiam innuimus.

PATRONI. C. C. V.V.

Sed iam videamus in quot genera, ſeu claſſes, noſtrae Tabulae Decuriones diſtribuantur. Primi occurrunt *Patroni*, qui forte cauſam publicam agebant, & erant veluti Reipublicae defenſores. *Patroni*, *&* *Decuriones* occurrunt in antiqua Inſcriptione apud *Muratorium*, *pag.* DXXII. 1. ſed non ad Coloniae Senatum, verum ad NOMINA COLLEGI FABRVM ILIC. ſpectant. Quid autem literae illae C. C. V. V. ſignificent, non illico dixerim. Num *Clariſſimi Viri* exponendum eſt, & inluſtri hoc titulo Patroni decorabantur? An potius *Conſulares Viri* legendum, ita, ut Patroni illi Conſules Coloniae, vel Municipii, antea exſtiterint? *Conſul Municipalis* oſtenditur apud *Gruterum pag.* XC. 8. CCCLI. 5. CCCCXXXVIII. 7. LXXXVII. 4. Inſuper apud *Muratorium pag.* DCCCLXI. 9. video Inſcriptionem, in qua legitur *Conſul*, *Decurio Coloniae*, *Quaeſtor*, *Duumvir*. Non me latet in Gruteriano Indice illud C. C. V. V. explicari *Calator Curiatus Virginum Veſtalium*; at non video id quid ad rem noſtram faciat. Sed *Patroni* ipſi inter ſe differebant. Ecce enim

PATRONI E. E. Q. Q. R. R.

Sed quid deſignent literae illae E. E. Q. Q. R. R? Num *Equites Romani?* Equites Romani erant etiam in Coloniis, & Municipiis, ut videre eſt apud *Noriſium* in Cenotaphia Piſana *Diſsert. I. Cap. III.* Num *Electi Quinquennales Rationales?* *Davus* ſum, non *Oedipus*. Alii Decuriones erant

QVINQVENNALICII.

Sicuti Romani Senatores a Magiſtratibus, quos ultimo loco geſſerant, qui ex ſupremo ordine erant, alii *Quaeſtorii*, quidam *Tribunii*, multi *Aedilicii*, nonnulli *Praetorii*, *Conſulares*, & *Cenſorii*, nominabantur, ac ut quiſque maximo perfunctus erat Magiſtratu, ita dignitate ſupremus habebatur; ita inter Coloniarum, & Municipiorum, Decuriones ſimilis diſtinctio fuiſſe videtur, & a Magiſtratibus, quos ultimo loco geſſiſſent, denominabantur. Iraque heic nomine *Quinquennaliciorum* deſignatos puto eos, qui antequam Decuriones creati ſunt, *Quinquennales* fuerant Non me latet, ut ſuperius animadvertebam, & *Decuriones Quinquennales* exſtitiſse, & *Quinquennalicius* pro *Quinquennalis* uſurpatum videri, apud *Gruterum pag* CXXVI. 5. ſed prior ſententia mihi magis adridet. Occurrunt deinde in hac Tabula.

ALLECTI INTER QVINQ.

Quos ego cenſuerim eos eſſe, qui inter Quinquennales allecti fuerant, antequam Decuriones iuberentur. *Adlecti* autem, vel *Allecti*, fuiſse videntur illi, qui Magiſtra-

ſtratu iam conſtituto, in eum deinde honoris gratia adlegebantur; vel qui, quum ius ad illum Magiſtratum non habuiſsent, tamen in eum deinde adlegebantur, & erant veluti Adſcriptitii, & ut vulgo dicitur, *Extraordinarii*. Sic apud *Muratorium pag.* MXCVI. 1. occurrit *Civis adlectus ob honorem Aedilitatis*; hoc eſt, ut ego opinor, adlectus inter cives, vel quia Aedilis fuerat; vel ut Aedilis eſſe poſset, quod melius puto. Item apud *Gorium Par.* 1. *Inſcript. Etrur. pag.* 28. *Colonus Adlectus*, hoc eſt Colonis adſcriptus, offenditur *C. Vmbricius C. F. Scaptia Canſo, Colonus Adlectus Decreto Decurionum Florentinorum*: quae quidem Inſcriptio non omnino recte ibidem enarrata videtur. At non omnia poſſumus omnes. Hinc *Adlecti* in fere omnes Magiſtratus reperiuntur. *Adlectus Decurio, in ordinem Decurionum*, occurrit apud *Gruterum pag.* XCIX. 9. CCCCXII. 5. CCCCLXVIII. 9. MXXVI. 3. & apud *Muratorium* DCLXXXIII. 9. DCCLXIII. 7. MXXXII. 1. & apud *Gorium* laudata *Par. I. pag.* 308. cuius Inſcriptionis initium heic exſcribam, non omnino enim expoſitum fuiſse videatur in Adnotationibus: *Cn. Sentio. Cn. Fil. Cn. N̄. Ter. Felici. Dec. Decr. Aedilicio. Adl. D. D. D. Adl. Q. A. Oſtiens. II. Vir. Q. Iuvenum. Hic. primus. omnium quo anno Dec. Adl. eſt. & Q. A. fact. eſt. & . in. proxim. annum II. Vir. deſignat. eſt. Quinq. Curatorum. Navium. Marinar. gratis. Adlect. inter. Navicular. Maris. Hadriatici. & . ad. Quadrigam. Fori. Vinari &c.* Haec autem ita lego: *Cneio Sentio, Cneii filio, Cneii nepoti, Terentina, Felici, Decurionum Decreto Aedilicio Adlecto, Decreto Decurionum Decurioni Adlecto, Quinquennali Aedili Oſtienſi, Duumviro Quinquennali Iuvenum. Hic primus omnium, quo anno Decurio adlectus eſt, & Quinquennalis Aedilis factus eſt, & in proximum annum Duovir deſignatus eſt. Quinquennalis Curatorum navium marinarum, gratis Adlectus inter Navicularios maris Hadriatici, & ad Quadrigam fori vinari &c.* Hinc ſatis elucet, ut quis adlegeretur, interdum pecuniae vim, aut rem aliam, erogare ſolitum fuiſse; patet etiam *Aedilicios Adlectos* reperiri. *Adlectus inter Conſulares* offenditur apud *Murator. pag.* MXIX. 2. MXXXIII. 2. *Adlectus inter Patricios* apud *Murator. pag.* DCCXXVII. 1. 2. DCCLXVI. 5. DCCCX. 7. DCCCLVIII. 4. *Adlectus inter Praetores, & Praetorios*, apud eumdem *Muratorium pag.* LIX. 1. DCLXXXII. 2. MCXIX. 3. *Adlectus inter Quaeſtorios* apud eumdem *pag.* MXIX. *Adlectus inter Tribunicios* ibidem DCCXIX. 3. *Adlectus Decurialis* ibidem *pag.* DCCXVII. 6. *Quaeſtor Adlectus inter Duumvirales* ibidem *pag.* DXV. 6. Ex huiuſmodi Inſcriptionibus exſiſtit, atque eminet, vocem *Adlectum* de omnibus Magiſtratibus, & ordinibus indiſcriminatim uſurpari, non vero de Romanis Senatoribus tantum, inter quos *Adlecti* erant, de quibus doctiſſimus *Guil. Budaeus* in Adnot. Prior. in Pandectas ita commentatur. *Adlecti etiam dicebantur eodem auctore* (hoc eſt *Feſto*) *qui propter inopiam ex equeſtri ordine in Senatus ſunt numerum adſumti. Inde illud Tranquilli in Caeſare: Peregrinis in Senatum adlectis libellus propoſitus eſt, ne quis Senatori novo curiam monſtrare velit. Hodie autem Adlecti, Adſcriptitiique, vocari poſſunt Latine in Collegiis Magiſtratuum, qui vulgo creati, & extraordinarii vocitantur, ut nonnulli ſunt hodie inter Rationales, & Praefectos ratiociniorum, quos Clericos, Magiſtroſque computorum, adpellamus. Hi autem Adſcripti, Adlectique a Graecis* παρεγγεγραμμένοι *dicuntur. Itaque Lucianus hos Deos* ἐγγεγραμμένους *adpellat, quos Cicero Maiorum gentium vocitavit, quaſi iam inde ab initio in Deorum albo connumeratos;* παρεγγεγραμμένους *vero Herculem, Liberum, Ganimedem, quos etiam* μετοίκους *vocat, quaſi incolas, advenaſque, Deos, hoc eſt adſcitos, adſcriptitios, adoptivos. De Apolline enim loquens ita inquit:* ἐγγεγραμμένοι ἐκ τῶν δώδεκα ληξιαρχικῶν,

ad

id est, *scriptus in duodecim Deorum albo*. Hactenus ille. Hi autem Adscriptitii, & Adlecti, a Graecis etiam ἐπέγγραφοι dicebantur, ut ex duabus Atticis Inscriptionibus constat, quas *Sponius* refert, & quas ego iterum excudendas curavi in primo Volumine Operum *Io. Meursii*; ibi enim post recensitos Ephebos, οἱ ἐφηβεύσαντες ἐπέγγραφοι adscribuntur. Sicuti autem *Quinquennalicii* dicuntur, qui Quinquennali Magistratu functi sunt, ita

II VIRALICII

adpellantur, qui iam II VIRI fuerant, & II. Viri quidem simpliciter dicti, qui a II Viris Quinquennalibus diversi erant, ut superius observabamus. Hic autem animadvertendum, Quinquennalicios anteponi II. Viraliciis, quasi maior honor haberetur Quinquennalitatis, quam Duumviratus. Licet enim Duumviri essent veluti Consules Coloniarum; Duumviri Quinquennales erant veluti Censores, ut iam dicebamus. Quem autem praetereat Censores Romanos tanti suum Magistratum fecisse, ut alios a se obitos ne nominarent quidem, sola censoriae dignitatis commemoratione contenti? Mirari igitur non subest, si Censores etiam Coloniarum se Duumviris antеferrent. Post Duumviralicios

AEDILICII

veniunt, qui scilicet Aedilitatis honorem gesserant. *Aedilicium Adlectum*; & Aedilicios Senatores, qui postquam Aediles fuissent, Senatores creati fuerant, tempestive adnotavimus. Sed simpliciter etiam *Aedilicius* occurrit apud *Gruterum pag.* CCCXIII. 2. CCCCXVIII. 6. & *Aedilicius ter pag.* MXCVI. 7. At in Inscriptionibus *Aedilicius*, pro *Aedilis* usurpatum interdum censeo, quasi Aedilicia potestate ornatus, vel honores Aedilicios consequutus. Haud aliter

QUAESTORICII

sunt qui Quaestoris munus obiverant.

PEDANI

autem erant ii Decuriones, qui Pedariis Romae Senatoribus haud dissimiles censendi videantur. *Gellius Lib.* III. *Cap.* XVIII. negat a quibusdam *Pedaneus* recte dici, & *Pedarius* dicendum pertendit. In nostra Tabula nec *Pedanei*, nec *Pedarii* scriptum est, sed *Pedani*, quod forte eo temporis ita pronunciaretur. De Pedariis igitur Senatoribus haec scribit laudatus *Gellius*. *Non pauci sunt qui opinantur Pedarios Senatores adpellatos, qui sententiam in Senatu non verbis dicerent, sed in alienam sententiam pedibus irent. Quid igitur cum* SENA. *Consult. per discessionem fiebat, non ne universi Senatores sententiam pedibus ferebant? Atqui haec etiam vocabuli istius ratio dicitur, quam C. Bassus in Commentariis suis scriptam reliquit. Senatores enim dicit in veterum aetate, qui curulem Magistratum gessissent, curru solitos honoris gratia in curiam vehi, in quo curru sella esset, supra quam considerent, quae ob eam causam curulis adpellaretur. Sed eos Senatores, qui Magistratum curulem nondum ceperant, pedibus itavisse in curiam. Propterea Senatores nondum maioribus honoribus functos, Pedarios nominatos. M. autem Varro in Satyra Menippea, quae* ἱπποκύων *inscripta est, Equites quosdam dicit Pedarios adpellatos.*

Vi-

Videturque eos significare, qui nondum a CENS. *in Senatum lecti*, *Senatores quidem non erant; sed quia honoribus populi usi quidem erant, in Senatum veniebant, & sententiae ius habebant. Nam & curulibus Magistratibus functi, qui nondum a Censoribus in Senatum lecti erant, Senatores non erant. Et quia in postremis scripti erant, non rogabantur sententias; sed quas principes dixerant, in eas descendebant. Hoc significabat edictum, quo nunc quoque* COSS. *cum Senatores in curiam vocant, servandae consuetudinis causa translatitio utuntur. Verba edicti haec sunt: Senatores, quibusque in Senatu sententiam dicere licet. Versum quoque Laberii, in quo id vocabulum positum est, notari iussimus, quem legimus in Mimo, qui Scriptura inscriptus est.*

Caput sine lingua pedatia sententia est.

Hoc vocabulum a plerisque barbare dici animadvertimus, nam pro Pedariis Pedaneos adpellant. Quum autem ad formam Romanorum Senatorum Decuriones instituti essent, ex *Gellii* verbis facile intelligere est qui Decuriones *Pedani* dicerentur. Post eos ultimo loco scribuntur

PRAETEXTATI,

quos, qui nam essent, haud facile dictu arbitror. Romae quidem Senatoria vestis erat tunica lati clavi, ut discimus ex *Suetonio* in *Iulio Caesare*, & *Augusto*. Praetexta autem utebantur alii Magistratus omnes tam Romae, quam in Coloniis, & Municipiis, imo & Collegiorum, ac Vicorum Magistri. Livius XXXIV. 7. *Purpura viri utemur Praetextati in Magistratibus, in Sacerdotiis; liberi nostri praetextis purpura togis utentur: Magistratibus in Coloniis, Municipiisque; hic Romae infimo generi Magistris vicorum, togae praetextae habendae ius permittimus: nec ut id vivi solum habeant tantum insigne, sed etiam, ut eo crementur.* In nostra igitur Tabula *Praetextati Decuriones* intelligi fortassis valeant, infimi, extremique ordinis; quare non lato clavo Senatorio insigni, ut alii, sed *Praetexta* forte utebantur. Quo quidem ordine Decuriones scriberenrut in nostra Colonia iam vidimus, quo vero sederent Senatores Romani nunc dispiciendum. Igitur primi erant maiores Magistratus, Consules, Praetores: quod si Censores essent in Senatu [non enim Censura perpetuus Magistratus fuit, sed quarto quoque anno ad censendam civitatem creabantur] infra Praetores, proxime tamen, sedisse crediderim. Sedebant deinde minores Magistratus, Aediles curules, Aediles plebis, Quaestores, tum qui Magistratus gesserant, ordinatim, Consulares, Praetorii, Aedilicii, Quaestorii: de his autem singulis ordinibus, ut quisque Magistratum primus gesserat: quae sunt *Samuel. Pitisci* verba. In nostra vero Tabula Decuriones hoc ordine scribuntur:

Patroni C. C. V. V.
Patroni E. E. Q. Q. R. R.
Quinquennalicii.
Allecti inter Quinq.
II. Viralicii.
Aedilicii.
Quaestoricii.
Pedani.
Praetextati.

Post

Post haec omnia animadvertendum puto, quae Gentes inter hos Decuriones habeantur. Hae secundum elementorum ordinem digestae sunt. *Antonia, Aedinia, Aelia, Annaea, Abuccia, Annia, Aemilia, Albania, Apronia, Astoria, Aurelia, Agria, Attia. Betitia, Bruttia, Balonia, Balba. Claudia, Caecilia, Caelia, Caesellia, Curia, Clodia, Clatia, Ceia, Calpurnia; Carinatia. Didia, Domitia, Dasimia. Esquilia, Ennia, Eggia. Furia, Flavia, Faenia, Fulvia, Fabia, Fufidia. Gavivia, Garellana, Galbia, Graecidia, Gavia. Herennia. Iunia, Iulia. Kanuleia. Lorenia, Lucilia, Ligeria, Libuscidia, Licinia. Marcia, Munatia. Novia. Pontia, Papiria, Peticia, Pacilia, Pomponia, Pompeia, Publicia. Rutilia. Statia, Satrenia, Sulpicia, Servilia, Silia, Sergia. Triccia, Tedia, Terentia, Timinia. Valeria, Vibia, Visia.* Vbi hoc signum ĪĪ post Decurionem adscribitur, ut inter *II. Viralicios A. Caesellius Proculus II*; denotari videtur, vel iterum illum Decurionem fuisse; vel bis Duumviratus honorem gessisse. Quando autem in agro Canusino haec Tabula reperta est, & heinc subspicio oriri potest, eam ad Canusium spectasse, quae de Canusio *Cellarius* in sua *Geographia Antiqua* literis mandavit, heic adtexam. Ea sunt *Lib. II. Cap.* IX. *sect.* IV. in descriptione Apuliae: Post *Asculum*, inquit, & *Salapiam Aufidus* fluvius decurrit, quem supra satis descripsimus. Dextrae ripae adpositum *Canusium* oppidum, Straboni, & Ptolemaeo Καvύσιov, hodie Canosa; quod is *amnis* praefluit, ut Plinius modo dixit: sive, ut Mela, *Canusium attingit*. Perfugium Romanis post Cannensem cladem. Livius Lib. XXII. *Cap.* L. (ex minoribus castris in maiora) *ad sexcentos evaserunt, atque inde protinus, alio magno agmine adiuncto, Canusium incolumes perveniunt*. Et Cap. LIV. *Varro ipse Canusium copias traduxit. Et iam aliqua species consularis exercitus erat: moenibusque se certe, si non armis, ab hoste videbantur defensuri*. Gentile *Canusinus*. Livius Lib. IX. Cap. XX. *Ex Apulia Teanenses, Canusinique*. Horat. Lib. I. Satir. X. vers. 30. *Canusini more bilinguis*; quia & Graece, & Latine loquebantur. Silius Lib. X. vers. 389.

Iam Latius sese Canusina in moenia miles
Colligere ——

Cellarius Canusium Coloniam a *M. Aurelio* Imperatore deductam fuisse ignoravit; & id extare videtur ex Inscriptione apud *Muratorium*, quae ita habet *pag.* DCLIX.

.....ELIO AVG. LIB.
.....ELIO APOLAVSTO
PANTOMIMO
...VSTALIVM QQ.
...ONIS. E. TEMPORIS
SVI PRIMO
...ONIA AVRELIA
..G. PIA CANVSIVM
D. D.

Hanc ita suppleri posse censet Clarissimus *Muratorius*: *M. Aurelio Augusti Liberto Aurelio Apolausto Pantomimo Augustalium Quinquennali Hieronicae temporis sui primo Colonia Aurelia Augusta Pia Canusium Decurionum decreto, vel dedicavit*. Duumviri Canusini meminit alia Inscriptio apud eumdem *pag.* MXXXVII. Alius Magistratus Canusinus memoratur apud *Gruterum pagina* CCCCXLIV. Canusii autem mentio apud *Gudium* quoque *pag.* CCCXLII.



